

mihī videtur quorundam opinio, qui ex inueterata consuetudine moti censent obiter omnia, quæ A  
apparent in ægrotante, quæque ab eo gesta sunt, ex quibus morbum contraxit, ab initio esse com-  
memoranda: Veluti si quis fortè dolorem lateris ex insolatione contraxerit, aut ex cursu, uel ex alia oc-  
casione, eam primum esse referendam iudicant. Quod ego nunquam probare possum; nam sic om-  
nia omnibus miscentur, & sæpius coguntur eadem repeti: siquidem quum causæ postea quærentur,  
occasiones quoque explicare oportet. Nonne (quæso) magis probabimus medicum & cum maiore  
artificio uti putabimus, si accersitus ad hominem dolore lateris correptum, de natura illius doloris di-  
cere incipiat & postea proximas causas, ac deinceps occasiones doceat, quàm alium, qui ab ipsis occa-  
sionibus exordiat, atque ita causas eius, de quo nihil adhuc est dictum, inuestigare laboret. Sequa-  
mur ergo prædictam docendi rationem, quæ nihil temere ponit, & singula suis locis explicat.

*De Morbo quæ dicenda. Cap. VII.*

**P** A V C O S video scire, quid in hac re dicere expediat. Si enim fortè differendum sit de  
pleuritide, ostendunt illi quidem morbum esse, sed eas omittunt differentias, quas affe-  
ctus admittit, quæque curationem uariant. Sunt qui nec genus quidem affectus, de  
quo agunt, tentant docere qui scilicet nihil elaboratum quærent, sed in crassa quadam  
rerum cognitione consistunt. Nam si hi forte de vertigine, aut cholericâ passione,  
uel tinesimo, aut insomnijs, quæ hominem infestent, aut alio simili malo dicere debeant, solo  
nomine contenti, nequaquam ostendent se vel de morbo, aut symptomate, vel morbi causa agere,  
quod tamen imprimis ignorandum non est. Itaque si non constet morbum esse affectum illum, de  
quo agimus, ob antiquorum varias de hac re sententias (veluti quum nonnulli apoplexiam mor-  
bum, alij verò symptoma scribunt esse) ut intelligatur, de quo genere mali agatur, rem ab initio di-  
stinguat, & ratione aliqua probet, quæ & sibi, & alijs fidem faciat. Quod si non constet præter  
naturam esse affectum, ut sæpe in leuissimis, aut latentibus malis contingit, proponendum est, an C  
illud huiusmodi sit, aut non, probandumque ex proprijs indicijs quod verius putamus. Nam ac-  
cidunt nonnunquam & de his disputationes, quum vnus iam conualescere hominem, alius verò  
adhuc ægrotare contendit. Quo casu primum videndum in quo statu sit corpus; quo comperto de  
natura illius, & loco affecto protinus agendum. Ac ut exemplis res innotescat. Ponamus homi-  
nem ob excedentem in corpore calorem decumbere. Dicit in hoc casu Medicus hominem præter  
naturam habere, quum nequeat solita uitæ officia exercere, & eum Febre teneri, quæ quum sit ali-  
quid præter naturam, necessario inter morbos, vel causas morborum, vel symptomata poni de-  
bet: esse autem morbum, quum ab omnibus sit receptum Febre nomine morbum significari; tum-  
que medici dicant Febribus deberi curationem, quod quidem solum morbis tribuitur, propterea eam  
non esse calorem præter naturam, sic enim causa morbi foret, sed ipsam intemperiem, & eam qui-  
dem calidam, non autem siccam; eo quod omnis febris ob calorem labefactat actiones; Siccitas  
verò etsi in omni febre, ubi materia penitus non repugnat, adest, non vsque adeò tamen in omni- D  
bus intenditur, ut illius ratione actiones offendi ostendere possimus. Quod quum accidit, ut in ma-  
ralismo, iam non solum esse febrem, sed præterea siccum affectum, qui hominem cum febre vrget, di-  
cimus; quemadmodum febres pestilentes non solum in febre, & temperie vitium habent sed etiam  
in tota substantia, quod docent medicamenta illis accommodata, quæ non tam refrigerando, & hu-  
meclando, quàm quod vniuersa substantia repugnent, illis medentur. Ex quo fit, ut duplex quoque  
in illis sit affectus, febris scilicet, & morbus in tota substantia. Est igitur febris intemperies, & ca-  
calida solum, id est, in qua calor præter naturam exuperat, natiumque corrumpit, non quod duo  
calores in febricitante poni debeant, vnus secundum naturam, qui nutritionis, sensus, motus, &  
aliam omnium actionum, quæ in uiuente exercentur, sit causa; alter verò præter naturam, qui fe-  
brem constituat, & omnia destruat, quæ in homine fiunt; sed quod vnus sit, plus quàm naturalis  
status postulet, auctus, qui quum plurimum excedit, omnes naturæ functiones euerit, prorsus  
que inutilis, & præter naturam censetur: qualis est, qui gangrenas excitat in partibus, & alias qual- E  
cunque putredines. Quum verò certa quadam mensura exuperat, non prorsus inutilis redditur ad  
coctiones peragendas, & alia obeunda munia, quæ ad hominis salutem pertinent; propterea dicitur  
esse mixtus in Febre, & suppurationibus calor ex naturali, & eo, qui est præter naturam: non quod  
duo diuersi calores sint mixti, sed quod ita vnus exuperet, ut nec plane agere possit secundum na-  
turam; sicut contingit, quum animal ualet; nec prorsus præter naturam, ut in putredine accidit;  
Verum mixta opera efficiat plus vel minus vtilia animanti; prout plus, uel minus à naturali statu  
recedit. Est autem febris simularium partium morbus, quoniam intemperies; nec obstat quod læ-  
dat actiones instrumentorum, quoniam non quicquid lædit functiones partis, illius morbus est; Sed  
quod est vitium in ipsius constitutione, & compositione. Ac ne simularium omnium, totiusque cor-  
poris, sed cordis dumtaxat morbus est febris, quando quidem per accessiones, quæ cum rigore inua-  
dunt,